

DISTINCTIO XXIV.

De ordinibus ecclesiasticis.

Nunc ad considerationem sacrae ordinationis accedamus. Septem sunt spiritualium officiorum gradus, sive ordines, sicut ex sanctorum Patrum dictis aperte traditur, et capitulis nostris, scilicet Jesu Christi, exemplo monstratur, qui omnium officia in semelipso exhibuit, et corpori suo, quod est Ecclesia, eosdem ordines observandos reliquit. Septem autem sunt propter septiformem gratiam sancti Spiritus, cuius qui non sunt participes, ad gradus ecclesiasticos indigne accedunt. Illi vero in quorum mentibus diffusa est septiformis gratia Spiritus sancti, cum ad ecclesiasticos ordines accedunt, in ipsa spiritualis gradus promotione ampliorem gratiam percipere creduntur.

Quales assumendi sunt ad clerum.

Tales autem ad ministerium spirituale eligendi sunt clerici, qui digne possint dominica sacramenta tractare. Melius est enim Dominico (1) sacerdotio paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui ordinari grave onus inducant. Tales enim decet esse ministros Christi qui septiformi gratia Spiritus sancti sint decorati, ex quorum doctrina et conversationis forma, eadem gratia in alios transfundatur, ne caelestes margaritas spiritualium (2) verborum officiorumque divinarum, sordidae vitae (3) pedibus conculcent. In sacramento ergo septiformis Spiritus septem sunt gradus ecclesiastici: scilicet ostiarii, lectores, exorcistae, acolythi, subdiaconi, diaconi, sacerdotes. Omnes tamen clerici vocantur, id est sortiti. Corona enim signaculum est, quo signantur in partem sortis ministerii divini. Corona quippe (4) regale decus significat, quia servare (3) Deo regnare esse. Unde ministri Ecclesiae, reges esse debent, ut se et alios regant; quibus Petrus ait (1 Petr. 2, 9): « Vos estis gens electa, regale sacerdotium etc. » Summis capitulis desuper nudatur, ut eorum mens ad Dominum libera monstratur, qua revelata facie gloriam Dei contemplantur (6). Summis enim capitulis est eminentia meritis, demulatio capitulis est revelatio mentis. Clericus enim secretorum Dei non ignarus esse debet. Tondentur etiam capilli usque ad revelationem sensuum, scilicet oculorum et aurium, ut vitia in corde et opere nullatenus doceantur praecedenda, ne ad audiendum et intelligendum verbum Dei praepeditur mens, pro quo servato reddetur in excelsis corona. Tonsurae autem ecclesiasticae usque a Nazaraei exortus videtur, qui prius crine servato, deinde ob vitae continentiam caput radebant, et capillis in igne sacrificii ponebant. Hinc usus inolevit ut qui divinis cultibus mancipantur, quasi Nazaraei, id est sancti, crineposito inveniantur, sicut ad Ezechielum dicitur (cap. 5, 4): « Fili hominis, sume gladium acutum, et in duo super caput tuum et barbam. » In Actibus etiam Apostolorum (cap. 18), Priscillam et Aquilam hoc fecisse legitur. Paulus quoque et alii quidam discipuli Christi hoc fecerunt (Act. 22) (7). Recte ergo in quibuslibet gradibus constituti clerici vocantur quorum nomina: et rationes nominum Isidorus exponens ait (lib. 7 Elym. tit. de clericis): « Cleros et clericos hinc appellatos esse credimus, quia Magister dicitur est sorte, quem primum per Apostolos legitur nos ordinatum. Cleros ergo dicitur, latine sors vel hereditas dicitur. Ideo ergo dicitur clericus, quia de sorte sunt Domini, vel quia Deum patrem (8) habent (9). » Generaliter vero clericus nuncupati sunt omnes qui in Ecclesia Dei servantur, quorum gradus et nomina sunt haec: ostiarius, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, sacerdos.

(1) *Al.* Domino sacerdoti: *Item* Dominico sacerdoti: in *Magistri textu separati* casu: melius est enim Episcopo paucos etc.

(2) *Al.* spiritualia.
(3) *Al.* ordines vitae.
(4) *Al.* deest quippe.
(5) *Al.* et servare.
(6) *Magistri textus*: quae revelata facie gloriam Dei contemplantur.

(7) *Addit Nicolai* (ut ait Hugo lib. 2 de Sacram., part. 5, cap. 1, ac deinceps).
(8) *Fortis* partem.
(9) *Nicolai* (sive Domini partem habent).

De ostiariis.

Ostiarii iidem et janitores sunt, qui in veteri testamento (Paral. 1, cap. 26) electi sunt ad custodiam templi, ut non ingrederetur in illud immundus; dicti autem ostiarii, eo quod praesint ostibus templi. Ipsi enim tenentes clavem, omnia intus et extra custodiunt, atque intro bonos et malos habentes iudicium, dignos recipiunt, indignos respuunt. Unde et eis, cum ordinantur, claves Ecclesiae dantur ab Episcopo, et dicitur eis: « Sic agite tamquam rationem Deo reddiduri: pro rebus quae clavibus istis recluduntur » (1). Hoc officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de luniculis factis vendentes et ementes eiecit de templo. Ipse enim se ostiarius significans, dicit (Joan. 10, 9): « Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur » et egredietur, et pasca inveniet » (2).

De lectoribus.

Secundus est gradus lectorum. Lectores a legendo, sicut psalmistae a psalmis canendis vocati sunt. Illi enim praedicant populo quid sequantur: isti cantant ut excitent ad compunctionem animos audientium; licet quidam lectores ita miserabiliter pronuntiant, ut quosdam ad lectum lamentationemque compellant. Idem etiam pronuntiantes vocantur, qui porro apte nuntiant (3): quia tam certi clara eorum vox ut etiam longe positorum aures adimplant. Ad lectores autem pertinet lectiones pronuntiare, et ea quae Prophetae nuntiaverunt, populo praedicare, ut iam ex officio in Ecclesia legitur prophetas et lectiones; unde et ei vidente populo legatur ab Episcopo codex divinarum lectionum, et dicitur eis: « Accipe, et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter » impleveris officium, partem cum his qui bene verbum Dei ministraverunt » (4). Qui ad hunc gradum provehitur, litterarum scientia debet esse instructus, ut sensum verborum intelligat, vim accentuum sentiat, distincte legat, ne confusione prolationis intellectum auditoribus auferat. Attendat quid indicative, quid interrogative sit legendum, ubi sit in oratione faciendae distinctio. Haec enim male servata intellectionem turbant, et alios ad risum provocant. Auribus et cordi consulere debet vox lectoris. Hoc officium implevit Christus, cum in medio seniorum libram Isaiae aperiens, distincte ad intelligendum legit: « Spiritus Domini super me etc. » (Isai. 61, 1). Ex quo lectoribus datur intelligi, quia gratia spiritus clarere debent qui alii verbum Dei annuntiant. Hic ordo formam et initium a Prophetis accepisse videtur, quibus dicitur (Isai. 38, 1): « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta » vocem tuam. »

De exorcistis.

Tertius est ordo exorcistarum. Exorcistae autem ex graeco in latinum, adjuvantes vel incerpentes vocantur. (Ex Isidoro ut supra, et in Deer. cap. « Cleros »). Invocant enim super catechumenos, et super eos qui habent spiritum immundum, nomen Domini, adjuvantes per eum, ut egrediantur ab eis. Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos in exorcizando imponere. Debet autem habere spiritum mundum qui spiritibus immundis imperat, et malignum expellere de corde suo, quem expellit de corpore alieno; ne medicum quam alii fecit, sibi non prosit, et dicitur eis: « Medice, cura teipsum » (Luc. 4, 23). Hi cum ordinantur, accipiunt de manu Episcopi librum exorcismorum, et dicitur eis: « Accipite, et habetote potestatem » imponendi manus super energumenos, vel catechumenos » (5). Hoc etiam officio usus est Dominus, quando saliva sua tetigit aures et linguam surdi et muti, dicens (Marc. 7, 34): « Ephphetha, quod est adaperire: » per hoc docens nos spiritualiter debere aperire aures praecordiorum hominum ad intelligendum.

(1) Ut ex Concilio Carthaginensi 4, cap. 9, in Decretis refertur, dist. 25, cap. *Ostiarius* (Ex edit. P. Nicolai).
(2) *Nicolai* (ait Hugo ut supra, cap. 6).
(3) *Idem*: quod porro annuntiant; *item al.* qui porro annuntiant.
(4) Ex cap. 8 Concilii Carthaginensis 4, et in Decretis dist. 25, cap. *Lector* (Ex edit. P. Nicolai).
(5) *Nicolai* (ait Augustinus, et ex Concilio Carthaginensi 4, cap. 7, in Decretis refertur, ubi supra, cap. *Exorcista*).

DISTINCTIO XXIV.

dum, et ora ad confitendum, ut pulso daemone Spiritus sanctus vas suum recipiat (1). Hoc etiam officio usus est Christus cum daemones multos sanavit. Hic ordo a Salomone videtur descendisse, qui quendam modum exorcizandi invenit, quo daemones adjuvati ex obsessis corporibus pellebantur (2). Hinc officio mancipati exorcistae vocati sunt, de quibus Christus in Evangelio (Lucas 11, 19): « Si ego in Beelzebub » ejectione daemona, illi vestri (scilicet exorcistae) in quo » ejectione? »

De acolythis.

Quarto loco succedunt acolythi. Acolythi vero graece, latine ceroferrarii dicuntur a deportandis ceris quando legendum est Evangelium, vel sacrificium offerendum. Tunc enim accedunt luminaria, et deportantur ab eis, non ad effundendas acris tenebras, cum sol eo tempore rutilet, sed ad signum laetitiae demonstrandum, ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur de qua legitur (Joan. 1, 9): « Ego sum lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in » hunc mundum. » Ad acolythum pertinet praeparatio luminarium in sacro. Ipse cererum portat, ipse ureolum cum vino et aqua suggesta pro eucharistia subdiaconus praeparat. Hi cum ordinantur, cum edocti fuerint ab Episcopo qualiter in officio suo agere debeant, ab Archidiacono accipiunt candelabrum cum cereo (3), et ureolum vacuum (4). Hoc officium Dominus se habere testatur dicens (Joan. 8, 12): « Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in » tenebris » (5). Hujus officii formam illi gerant in veteri testamento (Exod. 32, et Levit. 8), qui lucernas candelabri componebant, et accendebant: igne caelesti ad illuminandas tenebras aquilonares (6).

De subdiaconis.

Quintus est ordo subdiaconorum. Graece hypodiacones vocantur, quos nos subdiaconos dicimus. Qui ideo sic appellantur, quia subjacent praecipis et officis levitarum. Oblationes enim in templo a fidelibus suscipiunt, et levitis (7) superponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebraeos Nathanael (8) vocabantur, id est in humilitate Domino servientes. Ad subdiaconum pertinet calicem et patenam ad altare Christi deferre, et levitis tradere, esse ministrare. Ureolum quoque cum aqua, manile (9) et manutergium tenere; Episcopo et presbyteris et levitis pro lavandis aut altare manibus, aquam praebere. His lex continentiae imponitur, quia altari propinquantes vasa corporis et sanguinis Christi portant. Unde illud (Isai. 32, 2), implere debent: a Mundamini qui « fertis vasa Domini. » Ad hoc etiam pertinet tantum de oblationibus ponere in altari quantum sufficere possit populo, nec non corporales et palas et substratoria lavare. Hi cum ordinantur, accipiunt de manu Episcopi patenam, et calicem vacuum; ab Archidiacono vero ureolum cum aqua, et manile et manutergium. Hoc officio usus est Dominus quando linteo se praecinxit, et linteo tergit (Joan. 13).

De diaconis.

Diaconorum ordo sextum tenet locum propter senarii perfectionem. Hic ordo in veteri testamento a tribu Levi nomen

(1) *Idem* (ait iterum Hugo ubi supra).
(2) *Idem* ut insinuat Hugo, et ex Josepho lib. 8 Antiquit. Judaic. colligi potest.

(3) *Nicolai* addit (ut sciatis so ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari).

(4) *Idem* (ad infundendum vinum in calicem, ex quo consecrandus est sanguis Christi).

(5) *Idem* (ait etiam Hugo).

(6) *Idem*: Quamvis autem in Concilio Carthaginensi 4, et in Decretis, ubi supra, cap. *Acolythus* nulla forma verborum praescribitur, sed solummodo ceteroferratum (sen candelabrum) cum cereo accipere dicitur, ut *sciat se ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari*; et accipere item ureolum ad suggerendum vinum in Eucharistiam corporis Christi; tamen in ordine Romano praescribuntur haec verba, quae simul illis dicenda sint: *Accipite ceroferrarium cum cereo, ut sciat vos ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari*; et in Sacramentalium Gregorii: *Accipite hoc gestatorum luminis, ut per illud valeatis adversariorum tenebras effugare, et verissimum lumen, quod illuminat omnem hominem, invenire.*

(7) *Idem* (sive diaconis).

(8) *Idem* (sive potius Nathanael).

(9) *Al.* *hinc et infra* cum aquamanti.

S. Th. Opera omnia. V. 7.

accepti vel traxit: dicuntur enim et levitae. Praecipit quippe Dominus Moysi (Num. 5), ut post ordinationem Aaron et filiorum ejus, rursus (1) tribus Levi ad divini cultus ministeria ordinaretur, conservaretur Dominus, et serviret pro Israel coram Aaron et filiis ejus in tabernaculo: ipsique gestarent arcam et tabernaculum, et omnia vasa ejus, et in circuitu tabernaculi excolebant, et in transportando tabernaculo ipsi deponerent, rursusque componerent. A viginti quoque vero annis et supra jussum servare in tabernaculo (Num. 8); quam regulam in novo testamento sancti Patres constituerunt, quia haec aetas ad ferenda onera est robusta (2). Levitae ergo ex nomine auctoris vocati sunt. De Levi enim Levitae exorti sunt, a quibus in templo mystici sacramenti mysteria explainantur. Hi graeco diacones, latine ministri dicuntur: quia sicut in sacrodo consecretio (3), ita in diacono ministerii dispensatio habetur. Ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus, et ministrare in omnibus praeguntur in sacramentis Christi, scilicet in baptismo, in chrismate, in patena et calice: oblationes quoque inferre, et disponere in altari. Componere etiam mensam Domini et vestire, crucem ferre, et praedicare Evangelium et Epistolam ad populum. Nam sicut lectoribus vetus testamentum, ita diaconibus novum praedicare praecipitur. Ad ipsum etiam pertinet officium precum, et recitatio nominum catechumenum: Ipse praenotat aures habere ad Dominum; ipse donat pacem, et ipse annuntiat. Quod autem hinc oritur a Moyse statutum est, hoc etiam in novo testamento representatur, cum diacono super laevum humerum stola ponitur, et casula in diebus jejunii complicatur: quia quiddam laboris et sustentantiae in hac vita toleratur, quasi in laeva portatur, donec in dextera, id est in aeternitate, requies habeatur. Hic ordo ab Apostolis celebratus est, quando, ut legitur in Actibus Apostolorum (cap. 6), septem viros plenos Spiritu sancto ad hoc officium egerunt, et oratione praemissa manus eis imposuerunt. Unde et consuetudo inolevit in omni parte Ecclesiae septem diacones circa Christi aram quasi septem columnae assistant. Hi sunt septem Angeli tubae cantantes in Apocalypsi: qui quales esse debeant, Apostolus docet Timotheo scribens (4). Hi cum ordinantur, solus Episcopus eis manum imponit, quia ad ministerium applicatur. Ponit eis orarium, id est stolum, super laevum humerum, et per hoc intelligit se accepisse jugum Domini suave, quo ad sinistram pertinentia divino timori subjungant. Accipiunt et textum Evangelii, ut intelligant se esse praecoens (5) Evangelii Christi (6). Hi autem, antequam ordinentur, probentur, ut docet Apostolus, et sine ministerium nullum crimen habentes. Hoc officio usus est Christus, quando post coenam sacramentum carnis et sanguinis discipulis dispensavit, et quando Apostolos dormientes ad orationem excitavit, dicens (Matth. 6, 41): « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem » (7).

De presbyteris.

Septimus est ordo presbyterorum. Presbyter graece, senior interpretatur latine. Non modo pro aetate vel decrepitate senectute, sed propter honorem et dignitatem quam accipiunt, presbyteri nominantur, qui morum prudentia et maturitate conversationis praecellere dicuntur in populo. Unde scriptum est (Sapient. 4, 8): « Senectus venerabilis est, non diuturna, esse annorum numero computata: cum enim non sunt sensus hominum, et aetas senectutis vite immatura » (8). Ideo autem etiam presbyteri sacerdotis vocantur, quia sacra dant: qui licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent, sicut Episcopi: quia ipsi nec chrismate frontem signant, nec Paralyticum dant, quod solus debet Episcopus lectio Actuum Apostolorum demonstrat. Unde et apud veteres iidem Episcopi et presbyteri fuerunt: quia illud est nomen dignitatis, non aetatis. Sacerdos nomen habet compositum ex graeco et latino, quod est sacrum dans, sive sacer dux. Sicut enim rex a regendo, ita sacerdos a

(1) *Al.* proprus.
(2) *Nicolai* (ut Hugo ait ubi supra). Et Isidorus: Levitae ergo etc.
(3) *In edit. Nicolai* consecretio.
(4) *Nicolai*: cum eos 1 ad Timoth. 5, jubet esse pudicos, non bilingues, non multo vino delictos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura, probatos primum, ut sic ministrent nullum crimen habentes. Cum ordinantur porro, Episcopus etc.
(5) *Al.* praecoens.
(6) *Nicolai* omittit quae sequuntur usque ad hoc officio.
(7) *Nicolai* (ait Hugo ut supra cap. 11).
(8) *Nicolai* (ex Hugone ut supra).

sanctificando dicitur est: consecrat enim et sanctificat corpus Christi. Antistes vero sacerdos dicitur est ab eo quod ante stat: primus enim est in ordine Ecclesiae (1). Ad presbyterium autem pertinet sacramentum corporis et sanguinis Domini in altari Dei conficere, orationes dicere et dona Dei benedicere: qui cum ordinatur, inunguntur eis manus, ut intelligant se accepisse gratiam consecrandi, et caritatis opera debere extendere ad omnes. Accipiunt et solam, quae utrumque tenet latus, qui debent esse muniti armis iustitiae contra adversa et prospera. Accipiunt etiam calicem cum vino, et patenam cum hostiis, ut per hoc sciatur se accepisse potestatem placabilis Deo hostias offerendi (2). Hic ordo a filiis Aaron sumptis initium. Summos enim Pontifices et maiores sacerdotis instituit Deus per Moysen, qui ex praecepto Dei Aaron in summum Pontificem, filios vero ejus iuxta in minores sacerdotes (Exod. 29). Christus quoque duodecim elegit discipulos prius, quos et Apostolos vocavit (Luc. 6), quorum vicem gerunt in Ecclesia majores Pontifices: deinde alios septuaginta duos discipulos designavit (ibidem 10), quorum vicem in Ecclesia tenent presbyteri. Unus autem inter Apostolos Princeps extitit Petrus, ejus vicarius et successor est Pontifex summus; unde dicitur apostolicus, qui et Papa vocatur, scilicet pater patrum. Qualis autem eligi debeat presbyter, Apostolus scribens Timotheo ostendit (1 Tim. 5): ubi nomine Episcopi presbyterum significat (5). Hoc autem officio usus est Christus, cum seipsum in ara crucis obtulit, idem sacerdos et hostia; et quando post coenam panem et vinum in corpus suum et sanguinem commutavit (4). Ecce de septem Ecclesiae gradibus breviter abest, quod ad quemque pertinet, insinuavimus. Cumque omnes sint spirituales et sacri, excellenter tamen canones duos tantum sacros ordines appellari censent, dicitur scilicet et presbyteratus: quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse, et de his solis praeceptum Apostoli habemus. Apostoli enim in singulis civitatibus Episcopus et presbyteros ordinaverunt. Levitas etiam ab Apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit beatus Stephanus. Subdiaconos vero et acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.

Quid sit quod hic dicitur ordo.

Si autem quaeritur, quid sit quod hic vocatur ordo; sane dici potest, signaculum esse, id est sacramentum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinatis, et officium. Character ergo spiritualis, ubi fit promotio potestatis, ordo vel gradus vocatur. Et dicuntur hi ordines sacramenta, quia in eorum perceptione res sacra, id est gratia, confertur, quam figurant ea quae ibi geruntur.

De nominibus dignitatis vel officii.

Sunt et alia quaedam non ordinum, sed dignitatum vel officiorum nomina. Dignitati simul vel officii nomen est Episcopus. Episcopatus autem vocabulum inde dictum est, quod ille qui Episcopus efficitur, superintendat, curam scilicet sub-

(1) Nicolai (ait ut supra Isidorus).

(2) Nicolai (ait iterum Hugo).

(3) Nicolai: cum irreprehensibilem vult esse ac prudentem et ceteris virtutibus ornatum (ad Timoth. 5, ubi supra). Hoc autem etc.

(4) Idem (ut Hugo rursus ubi supra).

Divisio textus.

Postquam determinavit Magister de sacramentis quae ordinantur in remedium unius personae, hic determinat de sacramentis quae ordinantur in remedium totius Ecclesiae; et dividit in partes duas: in prima determinat de sacramento ordinis, quod ordinatur ad spirituales multiplicationem et gubernationem Ecclesiae; in secunda de matrimonio, quod ordinatur ad multiplicationem materialem fidelium, 26 dist., ibi: *Cum alia sacramenta post pec-*

ditorum gerens; *αρχιεπι* enim graece, latino intendere dicitur. Episcopi autem graece, latine speculatores interpretantur. Nam speculator est praepositus in Ecclesia dicitur, quo quod speculatur, atque prospicit populum infra se positum mores et vitam. Pontifex est princeps sacerdotum quasi via sequentium: ipse et summus Sacerdos nuncupatur: ipse enim levitas et sacerdos efficit, ipse omnes ecclesiasticos ordines disponit (1).

De quadripartito ordine Episcoporum.

Ordo autem Episcoporum quadripartitus est, scilicet in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, et Episcopis. Patriarcha graece, summus patrum interpretatur, quia primus, id est apostolicus, tenet locum, ut Romanus, Antiochenus, Alexandrinus; sed omnium summus est Romanus. Archiepiscopus Princeps Episcoporum: *αρχιεπι* enim graece, latine Princeps dicitur. Metropolitanus autem a mensura civitatum dicitur: singulis enim provinciis praecminent, quorum auctoritati et doctrinae ceteri sacerdotes subjecti sunt. Solicitudinem enim totius provinciae ipsis Episcopis commissa est. Omnes autem superiores designati ordines Episcopi nuncupantur (2). Nota quod Archiepiscoporum nomine Primates superius significasse videtur, et Metropolitanorum, quos nunc Archiepiscopos dicimus. Horum autem discretio a Gentilibus introducta videtur, qui suos flammas alios simpliciter flammas, alios archiflammas (3), alios protoflammas appellabant. Sacerdotes enim Gentilium (4) flammas dicebantur, qui habebant in capite pileum; in quo erat brevis vitula desuper habens aliquid lanae, quod cum per aestum ferre non possent, filum tantum in capite ligare caeperunt: nudis enim capitibus eis incedere nefas erat. Unde a filo quo utebantur, flammas dicti sunt, quasi flammas. Sed festis diebus filo deposito pileum imponebant per sacerdotii eminentiam. Vates a vi mentis appellati sunt: ejus significatio multiplex est. Modo enim sacerdotem, modo prophetam, modo poetam significat. Cantor vero vocatur qui vocem modulatur in cantu. Huius sunt duo genera; praecentor et succentor. Praecentor qui vocem praemitit in cantu, succentor qui subsequenter canendo respondet. Concenter autem dicitur qui consonat vel concinit (5). Qui autem non consonat nec concinit, concenter non erit. His breviter tractatis, admonendi sunt Christi ministri, quatenus sicut excellentis ordinis dignitate, ita praecedant vitae sanctitate; ut plebs eis commissa, eorumque discipulis edocta, grater eis obediat, et eorum imitatione de die in diem proficiat, a quibus divina sacramenta percipiunt, et Missarum solemniam audiant. Missa autem dicitur, vel quia missa est hostia, cujus commemoratio fit in illo officio; unde dicitur: *A te, missa est.* id est, sequimini hostiam, quae missa est ad caelestia, tendentes post eam: vel quia missus caelestis venit ad consecrandum dominicum corpus, per quem ad altare caeleste deferitur hostia. Unde et dicitur, *Missa est.*

(1) Nicolai (ait ut supra Isidorus).

(2) Nicolai (ait iterum Hugo).

(3) Idem: alios archiflammas (id est flammas principales), alios protoflammas (id est primos flammas) appellabant.

(4) Idem (ut Isidorus quoque notat).

(5) At. deest vel concinit.

catum et propter peccatum exordium supervensit, matrimonii sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum a Domino. Prima in duas: in prima determinat de sacramento ordinis; in secunda de conferentibus hoc sacramentum, dist. 23, ibi: *Sollet quaeri, si haeretici . . . possint tradere sacros ordines.* Prima in duas: in prima de ordinibus; in secunda de quibusdam officiis vel dignitatibus quae ad ordines consequuntur, ibi: *Sunt et alia quaedam non ordinum, sed dignitatum vel officiorum nomina.* Prima in duas: in prima determinat de ordinibus distinctis; in secunda, quid in-

ter se commune (1) habeant, ibi: *Si autem quaeratur, quid sit quod hic vocatur ordo; sane dici potest, signaculum esse.* Prima in duas: in prima ponit numerum distinctiorum ordinum; in secunda de eis prosequitur, ibi: *In sacramento igitur septiformis Spiritus septem sunt gradus ecclesiastici.* Circa primum tria facit: primo ponit numerum ordinum; secundo effectum quem habent in suscipientibus, ibi: *Illi vero in quorum mentibus diffusa est septiformis gratia Spiritus sancti, cum ad ecclesiasticos ordines accedunt, in ipsa spiritualis gradus promotione ampliore gratiam percipere creduntur;* tertio conditiones quas in eis requirunt, ibi: *Tales autem ad ministerium spirituale eligendi sunt clerici, qui digne possint dominica sacramenta tractare.*

In sacramento ergo septiformis Spiritus septem sunt gradus ecclesiastici. Hic prosequitur de ordinibus; et circa hoc facit tria: primo determinat quoddam quod praecigitur ad ordines, scilicet coronam; secundo de ipsis ordinibus prosequitur, ibi: *Ostiarium idem et janitores sunt;* tertio ostendit quoddam ordinum ditorum differentiam, ibi: *Cumque omnes sint spirituales et sacri, excellenter tamen canones duos tantum sacros ordines appellari censent.* Secunda pars in septem partes dividitur, secundum quod de septem ordinibus prosequitur, quae partes per se patent in littera.

Sunt et alia quaedam non ordinum, sed dignitatum vel officiorum nomina. Hic determinat de nominibus, quibus non ordines, sed dignitates vel officia exprimuntur; et circa hoc duo facit: primo determinat de nominibus dignitatum; secundo de nominibus officiorum, ibi: *Vates a vi mentis appellati sunt.* Circa primum tria facit: primo exponit nomen Episcoporum, quod ad dignitatem pertinet; secundo ponit ejus distinctionem, ibi: *Ordo autem Episcoporum quadripartitus est;* tertio ponit distinctionis originem, ibi: *Horum autem distinctio etc., a gentilibus introducta videtur.*

Vates a vi mentis appellati sunt. Hic ponit nomina diversa officiorum; et circa hoc tria facit: primo exponit diversa officiorum nomina; secundo ostendit qualiter in officiis se habere debeant, ibi: *His breviter tractatis admonendi sunt Christi ministri etc.;* tertio exponit nomen Missae, ad quam officia distincta requiruntur, ibi: *Missa autem dicitur etc.*

QUAESTIO I.

Hic est triplex questio. Prima de ordine in communi. Secunda de distinctione ordinum. Tertia de his quae sunt ordinibus annexa.

Circa primum quaeruntur tria: 1.º de ipso ordine; 2.º de effectu ejus; 3.º de percipientibus ipsum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ordo in Ecclesia esse debeat.

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod ordo in Ecclesia esse non debeat. Ordo enim requirit subjectionem et praelationem. Sed subjectio videtur repugnare libertati, in quam vocati sumus per Christum. Ergo ordo in Ecclesia esse non debet.

(1) At. quid esse commune.

2. Praeterea, ille qui in ordine constituitur, alio superior fit. Sed in Ecclesia quilibet debet se altero inferiori reputare. Phil. 2, 5: *Superiores invicem arbitantes.* Ergo non debet in Ecclesia esse ordo.

3. Praeterea, ordo invenitur in Angelis propter distinctionem eorum in bonis naturalibus et gratuitis. Sed omnes homines sunt in natura unum; gratiarum etiam dona quis eminentius habeat, ignotum est. Ergo ordo in Ecclesia esse non potest.

Sed contra, Rom. 15, 1: *Quae a Deo sunt, ordinata sunt.* Sed Ecclesia a Deo est, quia ipse eam aedificavit sanguine suo. Ergo ordo in Ecclesia esse debet.

Praeterea, status Ecclesiae est medius inter statum naturae et gloriae. Sed in natura invenitur ordo, quo quaedam alijs superiora sunt; et similiter in gloria, ut patet in Angelis. Ergo in Ecclesia debet esse ordo.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod inconvenienter ordo in littera definiatur, ubi dicitur: *Ordo est signaculum quoddam Ecclesiae, per quod spiritualis potestas traditur ordinato.* Pars enim non debet poni genus totius. Sed character, qui per signaculum exponitur in consequenti definitione, est pars ordinis: quia dividitur contra id quod est res tantum, vel sacramentum tantum, cum sit res et sacramentum. Ergo signaculum non debet poni quasi genus ordinis.

2. Praeterea, sicut in sacramento ordinis imprimatur character, ita in sacramento baptismi. Sed in definitione baptismi non ponebatur character. Ergo nec in definitione ordinis poni debet.

3. Praeterea, in baptismo etiam quaedam spiritualis potestas traditur accedenti ad sacramenta; et iterum est quoddam signaculum, cum sit sacramentum. Ergo haec definitio convenit baptismi; et sic inconvenienter assignatur de ordine.

4. Praeterea, ordo relatio quaedam est, quae in utroque extremorum salvatur. Extrema autem hujus relationis sunt superior et inferior. Ergo inferiores habent ordinem sicut et superiores. Sed in eis non est aliqua potestas praecminentiae, qualis ponitur hic in definitione ordinis, ut patet per expositionem sequentem, ubi ponitur promotio potestatis. Ergo inconvenienter definitur hic ordo.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod ordo non sit sacramentum. Sacramentum enim, ut dicit Hugo de Sancto Victore (lib. 1 de Sacramentis, part. 8, cap. 5), est materiale elementum. Sed ordo non nominat aliquid hujusmodi, sed magis relationem vel potestatem: quia ordo est pars potestatis, secundum praefatum. Ergo non est sacramentum.

2. Praeterea, sacramenta non sunt de Ecclesia triumphante. Sed est ibi ordo, ut patet de Angelis. Ergo ordo non est sacramentum.

3. Praeterea, sicut praelatio spiritualis, quae est ordo, datur cum quadam consecratione, ita et praelatio saecularis: quia et reges inunguntur, ut supra, dist. 25, dictum est. Sed regia dignitas non est sacramentum. Ergo nec ordo de quo loquimur.

Sed contra est, quia ab omnibus enumeratur inter septem Ecclesiae sacramenta.

Praeterea, propter quod unumquodque, et illud magis. Sed propter ordinem efficitur homo dispensator aliorum sacramentorum. Ergo ordo habet magis rationem quod sit sacramentum quam alia.

QUAESTIUNCULA IV.

Uterius. 1. Videtur quod forma hujus sacramenti inconvenienter in littera exprimitur. Quia sacramenta efficaciam habent ex forma. Sed efficacia sacramentorum est ex virtute divina, quae in eis secretius operatur salutem. Ergo in forma hujus sacramenti deberet fieri mentio de virtute divina per invocationem Trinitatis; sicut in aliis sacramentis.

2. Praeterea, imperare est ejus qui habet auctoritatem. Sed auctoritas non residet penes eum qui sacramenta dispensat, sed ministerium tantum. Ergo non deberet uti imperativo modo, ut diceret, *Sic agite*; vel, *accipite* hoc vel illud; aut aliquid hujusmodi.

3. Praeterea, in forma sacramenti non debet fieri mentio nisi de illis quae sunt de essentia sacramenti. Sed usus potestatis acceptae non est de essentia hujus sacramenti, sed consequitur ad ipsum. Ergo non debet de eo fieri mentio in forma hujus sacramenti.

4. Praeterea, omnia sacramenta ordinant ad aeternam remunerationem. Sed in formis aliorum sacramentorum non fit mentio de remuneratione. Ergo nec in forma hujus sacramenti deberet de ea fieri mentio, sicut fit cum dicitur: *Habiturus partem, si fideliter officium tuum impleveris, cum iis qui verbum Dei bene ministraverunt.*

QUAESTIUNCULA V.

Uterius. 1. Videtur quod hoc sacramentum non habeat materiam. Quia in omni sacramento quod habet materiam, virtus operans in sacramento est in materia. Sed in rebus materialibus quae hic adhibentur, sicut sunt claves, candelabra, et hujusmodi, non videtur esse aliqua virtus sanctificandi. Ergo non habet materiam.

2. Praeterea, in isto sacramento confertur plenitudo gratiae septiformis, ut in littera dicitur, sicut in confirmatione. Sed materia confirmationis praexigit sanctificationem. Cum ergo ea quae in hoc sacramento videntur esse materialia, non sint praesantificata; videtur quod non sint materia hujus sacramenti.

3. Praeterea, in quolibet sacramento habente materiam, requiritur contactus materiae ad eum qui suscipit sacramentum. Sed, ut a quibusdam dicitur, contactus dierum materialium ab eo qui suscipit sacramentum, non est de necessitate sacramenti, sed solum porrectio. Ergo praedictae res materiales non sunt materia hujus sacramenti.

Sed contra est, quia omne sacramentum consistit in rebus et verbis. Sed res in quolibet sacramento sunt materia ipsius. Ergo res quae in hoc sacramento adhibentur, sunt materia hujus sacramenti.

Praeterea plus requiritur ad dispensandum sacramenta quam ad suscipiendum. Sed baptismus,

in quo datur potestas ad suscipiendum sacramenta, indiget materia. Ergo et ordo, in quo datur potestas ad ea dispensanda.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod Deus sua opera in sui similitudinem perducere voluit, quantum possibile fuit, ut perfecta essent, et per ea cognosci posset; et ideo ut in suis operibus repraesentaretur non solum quod in se est, sed etiam secundum quod aliis influit, haec legem naturalem posuit omnibus, ut ultima per media perficerentur, et media per prima, ut Dionysius dicit (de eccl. hier., cap. 9). Et ideo, ut ista pulchritudo Ecclesiae non deesset, posuit ordinem in ea, ut quidam alii sacramenta traderent, suo modo Deo in hoc assimilati, quasi Deo cooperantes, sicut etiam in corpore naturali quaedam membra aliis influunt.

Ad primum ergo dicendum, quod subjectio servitutis repugnat libertati; quae servitus est quando aliquis dominatur ad sui utilitatem subjectis utens. Talis autem subjectio non requiritur in ordine, per quem qui praesunt salutem subditorum quaerere debent, non propriam utilitatem.

Ad secundum dicendum, quod quilibet se debet reputare inferiorem merito, sed non officio. Ordines autem officia quaedam sunt.

Ad tertium dicendum, quod ordo in Angelis non attenditur secundum distinctionem naturae, nisi per accidens, in quantum ad distinctionem naturae sequitur in eis distinctio gratiae. Attenditur autem per se secundum distinctionem in gratia, quia eorum ordines respiciunt participationem divinorum, et communicationem in statu gloriae, quae est secundum mensuram gratiae, quasi gratiae finis et effectus quodammodo. Sed ordines Ecclesiae militantis respiciunt participationem sacramentorum, et communicationem, quae sunt causa gratiae, et quodammodo gratiam praecedunt; et sic non est de necessitate nostrorum ordinum gratia gratum faciens, sed solum potestas dispensandi sacramenta; et propter hoc etiam ordo non attenditur per distinctionem gratiae gratum facientis, sed per distinctionem potestatis.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod definitio quam Magister de ordine ponit, convenit ordini secundum quod est Ecclesiae sacramentum; et ideo duo ponit: signum exterius, ibi: *Signaculum quoddam*, id est signum quoddam; et effectum interiorem, ibi: *Quo spiritualis potestas traditur ordinatis.*

Ad primum ergo dicendum, quod signaculum non ponitur hic pro caractere interiori, sed pro eo quod exterius geritur, quod est signum interioris potestatis et causa; et sic etiam sumitur character in alia definitione. Si tamen pro interiori caractere numeretur, non esset inconveniens: quia divisio sacramenti in illa tria non est in partes integrales, proprie loquendo: quia illud quod est res tantum, non est de essentia sacramenti; quod est etiam sacramentum tantum, transit; et sacramentum manere dicitur. Unde relinquatur quod ipse character interior sit essentialiter et principaliter ipsum sacramentum ordinis.

Ad secundum dicendum, quod baptismus, quamvis in eo conferatur aliqua spiritualis potentia recipiendi alia sacramenta (ratione ejus characterem imprimi); non tamen hoc est principalis ejus effectus, sed ablutio interior, propter quam

baptismus fieret, etiam priori causa non existente; sed ordo potestatem principaliter importat; et ideo character, qui est spiritualis potestas, ponitur in definitione ordinis, non autem in definitione baptismi.

Ad tertium dicendum, quod in baptismo datur quaedam potentia spiritualis ad recipiendum, et ita quodammodo passiva: potestas autem proprie nominat potentiam activam cum aliqua praeminentia; et ideo haec definitio non convenit baptismo.

Ad quartum dicendum, quod nomen ordinis dupliciter accipitur. Quandoque enim significat ipsam relationem; et sic est tam in inferiori quam in superiori, ut objecto tangit; et sic non accipitur hic. Aliquando autem accipitur pro ipso gradu, qui ordinem primo modo acceptum facit; et quia ratio ordinis, prout est relatio, invenitur ubi primo aliquid superius altero occurrit; ideo hic gradus eminens per potestatem spiritualem ordo nominatur.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod sacramentum, ut ex supra dictis patet, nihil est aliud quam quaedam sanctificatio homini exhibita cum aliquo signo visibili; unde, cum in susceptione ordinis quaedam consecratio homini adhibeatur per visibilia signa, constat ordinem esse sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis ordo in suo nomine non exprimat aliquid materiale elementum; tamen ordo non exprimat aliquid materiale elementum.

Ad secundum dicendum, quod potestates proportionari debent illis ad quae sunt. Communicatio autem divinorum, ad quam datur spiritualis potestas, non fit in Angelis per aliqua sensibilia signa, sicut in hominibus contingit; et ideo potestas spiritualis, quae est ordo, non adhibetur Angelis cum aliquibus signis visibilibus, sicut hominibus; et ideo in hominibus est ordo sacramentum, sed non in Angelis.

Ad tertium dicendum, quod non omnis benedictio quae adhibetur homini, vel consecratio, est sacramentum: quia et monachi et abbates benediciuntur; et tamen illae benedictiones non sunt sacramenta; et similiter nec regalis inunctio, quia post hujusmodi benedictiones non ordinantur aliqui ad dispensationem divinorum sacramentorum, sicut per benedictionem ordinis; et ideo non est simile.

Solutio IV. Ad quartam quaestionem dicendum, quod hoc sacramentum principaliter consistit in potestate tradita. Potestas autem a potestate traducitur, sicut simile ex simili; et iterum potestas per usum innotescit, quia potentiae notificantur per actus; et ideo in forma ordinis exprimitur usus ordinis per actum qui imperatur, et exprimitur traductio potestatis per imperativum modum.

Ad primum ergo dicendum, quod alia sacramenta non ordinantur principaliter ad effectus similes potestati secundum quam sacramenta dispensantur, sicut hoc sacramentum; et ideo in hoc sacramento est quasi quaedam communicatio univoca. Unde in aliis sacramentis exprimitur aliquid ex parte divinae virtutis, cui effectus sacramenti assimilatur: non autem in hoc sacramento (1). Quamvis enim in Episcopo, qui est minister hujus sacramenti, non sit auctoritas respectu collationis hu-

jus sacramenti; tamen habet aliquam potestatem respectu potestatis ordinis quae confertur per ipsum, in quantum a sua potestate derivatur.

Ad tertium dicendum, quod usus potestatis est effectus potestatis in genere causae efficientis; et sic non habet quod in definitione ordinis ponatur; sed est quodammodo causa in genere causae finalis; et ideo secundum hanc rationem poni potest in definitione ordinis (1).

Solutio V. Ad quintam quaestionem dicendum, quod materia in sacramentis exterius adhibita significat virtutem in sacramentis agentem ex extrinseco omnino advenire; unde cum effectus proprius hujus sacramenti, scilicet character, non percipiatur ex aliqua operatione (2) ipsius qui ad sacramentum accedit, sicut erat in poenitentia, sed omnino ex extrinseco advenit; competit ei materiam habere, tamen diversimode ab aliis sacramentis quae materiam habent: quia hoc quod in sacramento confertur, in aliis sacramentis derivatur tantum a Deo, non a ministro qui sacramentum dispensat; sed illud quod in hoc sacramento traditur, scilicet spiritualis potestas, derivatur etiam ab eo qui sacramentum dat, sicut potestas imperfecta a perfecta; et ideo efficacia illorum sacramentorum principaliter consistit in materia quae virtutem divinam et significat et continet ex sanctificatione per ministerium adhibita; sed efficacia hujus sacramenti principaliter residet penes eum qui sacramentum dispensat. Materia autem adhibetur magis ad determinandum potestatem quae traditur particulariter ab habente eam complete, quam ad potestatem causandam; quod patet ex hoc quod materia competit usui potestatis.

Et hoc patet solutio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod materiam in aliis sacramentis oportet sanctificari propter virtutem quam continet; sed non est ita in proposito.

Ad tertium dicendum, quod sustinendo illud dictum, apparet ex dictis causa ejus. Quia enim potestas ordinis non accipitur a materia, sed a ministro principaliter; ideo porrectio materiae magis est de essentia sacramenti quam tactus. Tamen ipsa verba formae videntur ostendere quod tactus materiae sit de essentia sacramenti, quia dicitur: *Accipe* hoc vel illud.

ARTICULUS II.

Utrum in hoc sacramento ordinis conferatur gratia gratum faciens.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod in hoc sacramento ordinis non conferatur gratia

(1) *Supplet iterum Nicolaius*: Ad quartum dicendum, quod aliter se habet in aliis et in hoc sacramento. Nam per hoc sacramentum confertur officium aliquod, vel potestas aliquid faciendi; et ideo convenienter fit mentio remunerationis accipiendae, si fideliter administratur: in ceteris autem sacramentis non confertur simile officium, vel similis potestas; et ideo in illis nulla remunerationis mentio fit. Ad alia igitur sacramenta velut passive quodammodo se habet suscipiens, quia recipit ea propter proprium statum perficiendum tantum; sed ad hoc sacramentum se habet quodammodo active, quia illud suscipit propter hierarchicas funciones in Ecclesia exercendas. Unde quamvis alia eo ipso quod gratiam conferunt, ordinant ad salutem; proprie tamen ad remunerationem non ordinant, sicut hoc sacramentum.

(2) *At opinione.*

(1) *Ita exempla omnia, et etiam codices quos vidit Nicolaius; ipse tamen hoc supplet.* Ad secundum dicendum, quod propter causam specialem hoc sacramentum prae ceteris per modum imperativum exhibetur. Quamvis enim etc.

gratum faciens. Quia communiter dicitur, quod sacramentum ordinis ordinatur contra defectum ignorantiae. Sed contra ignorantiam non datur gratia gratum faciens, sed gratia gratis data: quia gratia gratum faciens magis respicit affectum. Ergo in sacramento ordinis non datur gratia gratum faciens.

2. Praeterea, ordo distinctionem importat. Sed membra Ecclesiae non distinguuntur per gratiam gratum facientem, sed secundum gratiam gratis datam, de qua dicitur I Corinth. 12, 4: *Divisiones gratiarum sunt*. Ergo in ordine non datur gratia gratum faciens.

5. Praeterea, nulla causa praesupponit effectum suum. Sed in eo qui accedit ad ordines praesupponitur gratia, per quam fit idoneus ad executionem ordinis. Ergo talis gratia non confertur in ordinis collatione.

Sed contra, sacramenta novae legis efficiunt quod figurant. Sed ordo per numerum septenarium significat septem Spiritus sancti dona, ut in littera dicitur. Ergo dona Spiritus sancti, quae non sunt sine gratia gratum faciente, in ordine dantur.

Praeterea, ordo est sacramentum novae legis. Sed in definitione talis sacramenti ponitur, ut gratiae causa existat (1). Ergo causat gratiam in suscipiente.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod in sacramento ordinis non imprimatur character quantum ad omnes ordines. Quia ordinis character est quaedam spiritalis potestas. Sed quidam ordines non ordinantur nisi ad quosdam actus corporales, scilicet ostiarii vel acolythi. Ergo in eis non imprimatur character.

2. Praeterea, omnis character est indelebilis. Ergo per characterem homo ponitur in statu a quo non possit recedere. Sed illi qui habent aliquos ordines, possunt licite redire ad laicatum. Ergo non imprimatur character in omnibus ordinibus.

3. Praeterea, ut supra, dist. 5, dictum est, per characterem homo adscribitur ad aliquod sacramentum dandum vel accipiendum. Sed ad susceptionem sacramentorum sufficienter homo ordinatur per characterem baptismalem; dispensator autem sacramentorum non constituitur homo nisi in ordine sacerdotali. Ergo in aliis ordinibus non imprimatur character.

Sed contra, omne sacramentum in quo non imprimatur character est iterabile. Sed nullus ordo est iterabilis. Ergo in quolibet ordine imprimatur character.

Praeterea, character est signum distinctivum. Sed in quolibet ordine est aliqua distinctio. Ergo quilibet ordo imprimit characterem.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod character ordinis non praesupponat characterem baptismalem. Quia per characterem ordinis homo efficitur dispensator sacramentorum; per characterem baptismalem suscipiuntur eorumdem. Sed potestas activa non praesupponit de necessitate passivam, quia potest esse sine ea, sicut patet in Deo. Ergo character ordinis non praesupponit de necessitate characterem baptismalem.

2. Praeterea, potest contingere quod aliquis non sit baptizatus, qui se baptismatum aestimat probabiliter. Si ergo talis ad ordines accedat, non consequitur characterem ordinis, si character ordinis praesupponat baptismalem; et sic ea quae faciet vel in consecratione vel in absolute, nihil erunt; et in hoc Ecclesia decipietur, quod est inconveniens.

Sed contra, baptismus est janna sacramentorum. Ergo cum ordo sit quoddam sacramentum, praesupponit baptismum.

QUAESTIUNCULA IV.

Uterius. 1. Videtur quod praesupponat de necessitate characterem confirmationis. Quia in his quae sunt ordinata ad invicem; sicut medium praesupponit primum, ita ultimum praesupponit medium. Sed character confirmationis praesupponit baptismalem quasi primum. Ergo character ordinis praesupponit characterem confirmationis quasi medium.

2. Praeterea, qui ad alios confirmandos ponuntur, maxime debent esse firmi. Sed illi qui sacramentum ordinis suscipiunt, sunt aliorum confirmatores. Ergo ipsi maxime debent habere sacramentum confirmationis.

Sed contra, Apostoli receperunt potestatem ordinis ante ascensionem, Joan. 20, 22, ubi dictum est eis: *Accipite Spiritum sanctum*. Sed confirmati sunt post ascensionem per adventum Spiritus sancti. Ergo ordo non praesupponit confirmationem.

QUAESTIUNCULA V.

Uterius. 1. Videtur quod character unius ordinis praesupponat de necessitate characterem alterius. Quia major est convenientia ordinis ad ordinem quam ordinis ad aliud sacramentum. Sed character ordinis praesupponit characterem alterius sacramenti, scilicet baptismi. Ergo multo fortius character unius ordinis praesupponit characterem alterius.

2. Praeterea, ordines sunt quidam gradus. Sed nullus potest pervenire ad posteriorem gradum nisi prius priorem conscenderit. Ergo nullus potest accipere characterem ordinis sequentis nisi primum accipiat ordinem praecedentem.

Sed contra, si omittatur aliquid in sacramento quod sit de necessitate sacramenti, oportet quod sacramentum iteretur. Sed si aliquis accipiat sequentem ordinem praetermissis primo, non reordinatur; sed confertur sibi quod deest, secundum statuta canonum. Ergo praecedens ordo non est de necessitate sequentis.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod *Dei perfecta sunt opera*, ut dicitur Deuter. 32, 4; et ideo cuiusque datur potentia aliqua divinitus, dantur ea per quae executio illius potentiae potest congrue fieri; et hoc etiam in naturalibus patet: quia animalibus dantur membra quibus animae potentiae possunt exire in actus suos, nisi sit defectus ex parte materiae. Sicut autem gratia gratum faciens est necessaria ad hoc quod homo digne recipiat sacramenta, ita etiam ad hoc quod

homo digne dispense; et ideo sicut in baptismo, per quem homo fit susceptivus aliorum sacramentorum, datur gratia gratum faciens, ita in sacramento ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum sacramentorum dispensationem.

Ad primum ergo dicendum, quod ordo datur non in remedium unius personae, sed totius Ecclesiae; unde quod dicitur contra ignorantiam dari, non est intelligendum ita quod per susceptionem ordinis pellatur ignorantia in suscipiente; sed quia suscipiens ordinem praeficitur ad pellendum ignorantiam in plebe.

Ad secundum dicendum, quod quamvis dona gratiae gratum facientis sint communia omnibus membris Ecclesiae, tamen per actus illorum donorum, secundum quae attenditur distinctio in membris Ecclesiae, idoneus susceptor aliquis esse non potest nisi caritas adsit; quae quidem sine gratia gratum faciente esse non potest.

Ad tertium dicendum, quod ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas quantumcumque, sed requiritur bonitas excellens: ut sicut illi qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis; et ideo praexigitur gratia quae sufficiebat ad hoc quod digne connumerarentur in plebe Christi; sed confertur in ipsa susceptione ordinis amplius gratiae munus, per quod ad majora reddantur idonei.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod circa hoc fuit triplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod in solo ordine sacerdotali character imprimatur. Sed hoc non videtur verum: quia actum diaconi nullus potest exercere licite nisi diaconus: et ita patet quod habet aliquam spiritualem potestatem in dispensatione sacramentorum, quam alii non habent. Et propter hoc alii dixerunt, quod in sacris ordinibus imprimatur character, non autem in minoribus. Sed hoc nihil iterum est: quia per quemlibet ordinem aliquis constituitur super plebem in aliquo gradu potestatis ordinatae ad sacramentorum dispensationem. Unde cum character sit signum distinctivum ab aliis; oportet quod in omnibus character imprimatur: cujus etiam signum est quod perpetuo manet, et nunquam iteratur. Et haec est tertia opinio, quae communior est.

Ad primum ergo dicendum, quod quilibet ordo vel habet actum circa ipsum sacramentum, vel ordinatum ad sacramentorum dispensationem; sicut ostiarii habent actum admittendi homines ad divinorum sacramentorum inspectionem, et sic de aliis; et ideo in omnibus requiritur specialis potestas.

Ad secundum dicendum, quod quantumcumque ad laicatum se transferat, semper tamen manet in eo character: quod patet ex hoc quod si ad clericatum revertatur, non iterum ordinem quem habuerat, suscipit.

Ad tertium dicendum sicut ad primum.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod nihil potest aliquid recipere cuius receptivam potentiam non habet. Per characterem autem baptismalem efficitur homo receptivus aliorum sacramentorum; unde qui characterem baptismalem non habet, nullum alterum sacramentum suscipere potest; et sic character ordinis baptismalem characterem praesupponit.

Ad primum ergo dicendum, quod in eo qui ha-

bet potentiam activam a se, potentia activa non praesupponit passivam; sed in eo qui habet potentiam activam ab altero, praexigitur ad potentiam activam potentia passiva, quae recipere possit potentiam activam.

Ad secundum dicendum, quod talis si ad sacerdotium promoveatur, non est sacerdos, nec conficere potest, nec absolvere in foro poenitentiali; unde secundum canones debet baptizari iterato, et ordinari. Et si etiam in Episcopum promoveatur; illi quos ordinat, non habent ordinem. Sed tamen pie credi potest quod quantum ad ultimos effectus sacramentorum Summus Sacerdos suppleret defectum, et quod non permitteret hoc ita latere quod periculum Ecclesiae imminere posset.

Solutio IV. Ad quartam quaestionem dicendum, quod ad susceptionem ordinis praexigitur aliquid quasi de necessitate sacramenti, et aliquid de congruitate. De necessitate enim sacramenti praexigitur quod ille qui accedit ad ordines, sit ordinis susceptivus, quod competit ei per baptismum; et ideo character baptismalis praesupponitur de necessitate sacramenti, ita quod sine eo sacramentum ordinis conferri (1) non potest. Sed de congruitate requiritur omnis perfectio, per quam aliquid reddatur idoneus ad executionem ordinis; et unum de istis est ut sit confirmatus; et ideo de congruitate character ordinis characterem confirmationis praesupponit, et non de necessitate.

Ad primum ergo dicendum, quod non est similis habitudo huiusmodi medi ad ultimum, et primi ad medium: quia per characterem baptismalem fit homo susceptivus sacramenti confirmationis; non autem per sacramentum confirmationis fit homo susceptivus sacramenti ordinis; et ideo non est similis ratio.

Ad secundum dicendum, quod illa ratio procedit de idoneitate quantum ad congruitatem.

Solutio V. Ad quintam quaestionem dicendum, quod non est de idoneitate superiorum ordinum quod aliquis minores ordines prius habeat: quia potestates sunt distinctae; et una, quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subjecto: et ideo etiam in primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in presbyteros qui prius inferiores ordines non susceperant; et tamen poterant omnia quae inferiores ordines possunt: quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu, et ducatus in regno. Sed postea per constitutionem Ecclesiae determinatum est quod ad majorem se non ingerat qui prius in minoribus officiis se non humiliavit. Et inde est quod qui ordinantur per saltum, secundum canones non reordinantur; sed id quod omissum fuerat de praecedentibus ordinibus, eis confertur.

Ad primum ergo dicendum, quod magis conveniunt ordines ad invicem secundum similitudinem speciei quam ordo cum baptismis; sed secundum proportionem potentiae ad actum magis convenit baptismus cum ordine quam ordo cum ordine; quia per baptismum acquiritur homo potentiam passivam recipiendi ordines; non autem per ordinem inferiorem datur potentia passiva recipiendi majores ordines.

Ad secundum dicendum, quod ordines non sunt gradus qui occurrant in actione una, vel in uno

(1) *Al.* praefertur.

(1) *Al.* consistat.

motu, ut oporteat ad ultimum per primum devenire; sed sunt sicut gradus in diversis rebus constituti, sicut est gradus inter hominem et Angelum; nec oportet quod ille qui fit Angelus, prius fuerit homo. Similiter etiam est gradus inter caput et omnia membra corporis; nec oportet quod illud quod est caput, prius fuerit pes; et similiter est in proposito.

ARTICULUS III.

Utrum in suscipientibus ordines requiratur bonitas vitae.

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod in suscipientibus ordines non requiratur bonitas vitae. Quia per ordinem aliquis ordinatur ad dispensationem sacramentorum. Sed sacramenta possunt dispensari a bonis et a malis. Ergo non requiratur bona vita.

2. Praeterea, non est majus ministerium quod Deo in sacramentis exhibetur quam quod ipsi corporaliter adhibetur. Sed a ministerio ejus corporali non repulit Dominus mulierem peccatricem et infamem, ut patet Luc. 7. Ergo nec a ministerio ejus in sacramentis tales sunt amovendi.

3. Praeterea, per omnem gratiam datur aliquod remedium contra peccatum. Sed illis qui habent peccatum, non debet aliquod remedium denegari quod eis valere possit. Cum ergo in sacramento ordinis gratia conferatur, videtur quod debeat etiam peccatoribus hoc sacramentum dari.

Sed contra, Levit. 21, 21: *Homo de semine Aaron qui habuerit maculam, non offerat panes coram Domino, nec accedat ad ministerium ejus.* Sed per maculam, ut dicit Glossa, omne vitium intelligitur. Ergo ille qui est aliquo vitio irretitus, non debet ad ministerium ordinis adhiberi.

Praeterea, Hieronymus dicit (super Epist. ad Titum, cap. 2, in fine), quod non solum Episcopi et presbyteri et diaconi debent magnopere providere ut cunctum populum cui praesident, sermone et conversatione praecedant; verum etiam inferiores gradus, et omnes qui Domini oraculo (1) deserviunt; et quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores esse laicos quam clericos. Ergo in omnibus ordinibus requiritur sanctitas vitae.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod requiratur scientia totius sacrae Scripturae. Quia ille debet habere legis scientiam a cuius ore lex requiritur. Sed legem requirunt de ore sacerdotis, ut patet Malach. 2. Ergo ipse debet totius legis habere scientiam.

2. Praeterea, 1 Petr. 5, 13: *Parati semper ad satisfactionem omni poseenti vos rationem de ea quae in vobis est fide et spe.* Sed reddere rationem de his quae sunt fidei et spei, est illorum qui perfectam scientiam sacrarum Scripturarum habent. Ergo talem scientiam debent habere illi qui ponuntur in ordinibus, quibus verba praedicta dicuntur.

3. Praeterea, nullus congrue legit qui non intelligit quod legit: quia legere et non intelligere, negligere est, ut dicit Cato. Sed ad lectores, qui

(1) Hieronymi textus domui.

est quasi infimus ordo, pertinet legere vetus testamentum, ut in littera dicitur. Ergo ad eos pertinet habere totius veteris Testamenti intellectum, et multo fortius ad alios superiores ordines.

Sed contra est quod multi promouentur ad sacerdotium qui penitus de talibus nihil sciunt, etiam in religionibus multis. Ergo videtur quod talis scientia non requiratur.

Praeterea, in Vitis Patrum legitur, aliquos simplices monachos ad sacerdotium promotos, qui erant sanctissimae vitae. Ergo non requiritur praedicta scientia in ordinandis.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod ex ipso merito vitae aliquis ordinis gradum consequatur. Quia, sicut dicit Chrysostomus (Auctor operis imperf. in Matth. hom. 45), non omnis sacerdos sanctus est, sed omnis sanctus sacerdos est. Sed ex vitae mentio aliquis efficitur sanctus. Ergo et sacerdos, et multo fortius alios ordines habens.

2. Praeterea, in rebus naturalibus ex hoc ipso aliqui in gradu superiori collocantur quod Deo appropinquant, et magis de ejus bonitatibus participant, ut Dionysius dicit, 4 cap. ecclesiast. Hier. Sed ex merito sanctitatis et scientiae aliquis efficitur Deo propinquior, et plus de ejus bonitatibus recipiens. Ergo ex hoc ipso in gradu ordinis collocatur.

Sed contra, sanctitas semel habita potest amitti. Sed ordo semel habitus nunquam amittitur. Ergo ordo non consistit in ipso merito sanctitatis.

QUAESTIUNCULA IV.

Uterius. 1. Videtur quod promovens indignos ad ordines non peccat. Quia Episcopus indiget coadjutoribus in minoribus officiis constitutis. Sed non posset eos invenire in sufficienti numero, si talem idoneitatem in eis requireret, qualis a sanctis describitur. Ergo si aliquos non idoneos promovet, videtur quod sit excusabilis.

2. Praeterea, ecclesia non solum indiget ministris ad dispensationem spiritualium, sed etiam ad gubernationem temporalium. Sed quandoque illi qui non habent scientiam vel sanctitatem vitae, possent esse utiles ad gubernationem temporalium, vel propter potentiam saecularem, vel propter industriam naturalem. Ergo videtur quod tales possit sine peccato promovere.

3. Praeterea, quilibet tenetur peccatum vitare quantum potest. Si ergo Episcopus peccat indignos promovens, debet adhibere maximam diligentiam ad sciendum an illi qui accedunt ad ordines, sint digni, ut fereat diligens inquisitio de moribus et scientia ejus; quod non videtur alicubi observari.

Sed contra, pejus est promovere malos ad sacra ministeria quam jam promotos non corrigere. Sed Heli mortaliter peccavit non corrigens efficaciter filios suos de malitia sua; unde et retrorsum cadens mortuus est, ut dicitur 1 Reg. (cap. 4). Ergo multo fortius mortaliter peccat Episcopus qui indignum promovet.

Praeterea, spiritualia temporalibus sunt praeposita in Ecclesia. Sed mortaliter peccaret qui res Ecclesiae temporales scienter sub periculo poneret. Ergo multo fortius peccaret qui poneret res

spirituales sub periculo. Sed sub periculo ponit res spirituales quicumque indignos promovet: quia cuius vita despicitur, ut dicit Gregorius (hom. 12, in Evang.), necesse est ut praedicationis ejus contemnatur; et eadem ratione omnia spiritualia ab eis exhibita. Ergo indignos promovens, mortaliter peccat.

QUAESTIUNCULA V.

Uterius. 1. Videtur quod aliquis in peccato existens possit sine peccato ordine suscepto uti. Quia peccat si non utatur, cum ex officio teneatur. Si ergo utendo peccat, non potest peccata vitare; quod est inconveniens.

2. Praeterea, dispensatio est juris relaxatio. Ergo quamvis de jure esset ei illicitum uti ordine suscepto, tamen ex dispensatione ei liceret.

3. Praeterea, quicumque communicat alicui in peccato mortali, peccat mortaliter. Si ergo peccator in usu ordinis peccat mortaliter, tunc etiam peccat mortaliter qui ab eo aliquid divino accipit, vel ab eo exigit; quod videtur absurdum.

4. Praeterea, si utendo ordine suo peccat; ergo quilibet actus ordinis quem facit, est peccatum mortale; et ita cum in una executione ordinis multi actus concurrant, videtur quod multa peccata committat; quod valde durum videtur.

Sed contra est quod dicit Dionysius (in epistola 7 ad Demophilum): *Talis, scilicet qui non est illuminatus, quoad videtur sacerdotibus manum apponens; et non timet neque verecundatur divina praeter dignitatem exequens, et putans Deum ignorare quod ipse in seipso cognovit; et decipere aestimat falso nomine patrem ab ipso appellatum; et audit ipsius muneris immundas infamias (non enim dicam orationes) super divina signa christiformiter enuntiare.* Ergo sacerdos est quasi blasphemus; et dicitur deceptor qui indigne suum ordinem exequitur; et sic mortaliter peccat; et eadem ratione quilibet alius ordinatus.

Praeterea, sanctitas requiritur in susceptione ordinis, ut sit idoneus ad exequendum. Sed peccat mortaliter qui cum peccato mortali ad ordines accedit. Ergo multo fortius peccat mortaliter in quolibet executione sui ordinis.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam questionem, quod, sicut Dionysius dicit (in 5 cap. ecclesiast. Hier.), *ut subtiliores et clariores essentiae repletae influxu solarium splendorum lumen in eis supereminens ad similitudinem solis in alia corpora involunt; sic in omni divino non est audendum alicui dux esse, nisi secundum omnem habitum suum factus Dei firmissimus, et Deo similissimus.* Unde, cum in quolibet ordine aliquis constituatur dux aliis in rebus divinis; in quolibet quasi praesumptuosus mortaliter peccat qui cum conscientia peccati mortalis ad ordines accedit; et ideo sanctitas vitae requiritur ad ordinem de necessitate praeecepti, sed non de necessitate sacramenti. Unde si malus ordinatur, nihilominus ordinem habet, tamen cum peccato.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut vera sacramenta sunt quae peccator dispensat, ita verum sacramentum ordinis recipit; et sicut indigne dispensat, ita indigne recipit.

Ad secundum dicendum, quod illud ministerium erat tantum in executione corporalis obsequii, quod S. Th. Opera omnia. V. 7.

etiam licite peccatores facere possunt; secus autem est de ministerio spirituali ad quod applicantur ordinati, quia per ipsum efficiuntur medii inter Deum et plebem; et ideo debent bona conscientia nitere quo ad homines.

Ad tertium dicendum, quod aliquae medicinae sunt quae exigunt robur naturae, alias cum periculo mortis assumuntur; et aliae sunt quae debilibus dari possunt. Ita etiam in spiritualibus quaedam sacramenta sunt ordinata ad remedium peccati; et talia peccatoribus sunt exhibenda, sicut baptismus, et poenitentia; illa vero quae perfectionem gratiae conferunt, requirunt hominem per gratiam confortatum.

Solutio II. Ad secundam questionem dicendum, quod in quolibet actu hominis, si debeat esse ordinatus, oportet quod adsit directio rationis. Unde ad hoc quod homo ordinis officium exequatur, oportet quod habeat tantum de scientia quae sufficiat ad hoc ut dirigatur in actu illius ordinis: ideo talis scientia requiritur in eo qui ad ordines promovetur, et quod universaliter in tota Scriptura sit instructus; sed plus et minus secundum quod ad plura vel pauciora se ejus officium extendit; ut scilicet illi qui aliis praeposunt curam animarum suscipientes, scient ea quae ad doctrinam fidei et morum pertinent; et alii scient ea quae ad executionem sui ordinis spectant.

Ad primum ergo dicendum, quod sacerdos habet duos actus: unum principaliter supra corpus Christi verum; et alterum secundarium supra corpus Christi mysticum. Secundus autem actus dependet a primo, sed non convertitur; et ideo aliqui ad sacerdotium promoventur, quibus committitur primus actus tantum, sicut religiosi quibus cura animarum non committitur; et a talium ore non requiritur lex, sed solum quod sacramenta conficiant; et ideo talibus sufficit, si tantum de scientia habeant quod ea quae ad sacramentum perficiendum spectant, rite servare possint. Alii autem promoventur ad alium actum qui est supra corpus Christi mysticum; et a talium ore populus legem requirit; unde scientia legis in eis esse debet, non quidem ut scient omnes difficiles questiones legis, quia in his debet ad superiores haberi recursus; sed scient quae populus debet credere et observare de lege. Sed ad superiores sacerdotes, scilicet Episcopos, pertinet ut etiam ea quae difficultatem in lege facere possunt, scient; et tanto magis, quanto in majori gradu collocantur.

Ad secundum dicendum, quod ratio reddenda de fide, non est intelligenda talis quae sufficiat ad probandum quae fidei vel spei sunt, cum utrumque de invisibilibus sit; sed ut sciat in communi probabilitatem utriusque ostendere, ad quod non requiritur multum magna scientia.

Ad tertium dicendum, quod ad lectorem non pertinet tradere intellectum sacrae Scripturae populo, quia hoc est superiorum ordinum; sed solum pronuntiare; et ideo ab eo non exigitur quod habeat tantum de scientia quod sacram Scripturam intelligat, sed solum quod recte pronuntiare sciat; et quia talis scientia de facili addiscitur, et a multis; ideo probabiliter aestimari potest quod ordinatus talem scientiam acquirat, si etiam tunc eam non habeat; maxime si in via ad hoc esse videatur.

Solutio III. Ad tertiam questionem dicendum, quod causa debet esse proportionata suo effectui;